



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. IX. De Dataria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

## CAPUT IX.

## De Dataria.

1. Præesse solebat Dataria Prælatus.
2. Nunc Cardinalis, qui Prodatarius, Prælat<sup>us</sup> vero Datarius dicitur.
3. Olim facultas illius exigua erat, & committ<sup>ebatur</sup> Præmicerio, & Bibliothecario.
4. & 5. Nunc dignitas & potestas ejus amplissima.
6. Datarii Officium.
7. Est movibile & expirat morte Pontificis.
8. Datarius habet sub se Subdatarium, & Officialem perorbitum.
9. Subdatarii officium.
10. Officialis perorbitum officium.
11. Sunt præerea in Dataria duo Revisores.
12. Officialis Parvæ Datæ.
13. Præfectus componendarum.
14. Officialis de Missis.
15. Revisor dispensationum Matrimonialium.
16. Viginti Registratores.
17. 18. 19. 20. 21. & 22. Praxis obtinendi Beneficium in Dataria.
23. Cur Pontifex subsignet supplicationes nomine proprio, Literas vero nomine assumpto.
24. Cur Pontifex scribat in prima signature: Fiat ut Petitur. In secunda: Fiat?



25. Impeditus Pontifex committit alteri, ut subscribat in forma Concessum.
26. Quod etiam observatur in Beneficiis Galliae, & gratis levioribus.
27. Quae in hoc Tribunali concedit Pontifex contra jus commune, censetur in hoc dispensare.

## I.

**D**ataria est Tribunal Pontificis, in quo gratiae ab eo concessae explicantur, & expediuntur. Praesse solebat huic tribunali Praelatus aliquis, ex primis Curiae valde idoneus, & in materia beneficii apprimè versatus, qui erat in gradu proximo ad purpuram.

2. Jam verò à multis annis ex ipsis Purpuratis, & quidem ut plurimum ex Rotae auditorio promotis, assumitur Praeses hujus Tribunalis, hac tamen cum differentiâ, quod Praelati *Datarii* dicantur, Cardinales vero *Prædatarii*, ideo fortassis, ut censet de Luca, quod dedecet dignitatem Cardinalitiam munus suscipere inferius, & Praelatorum proprium, non vero indecens sit administrare illud provisionaliter per modum commendae.

3. Priscis temporibus, priusquam hoc officium ad tam sublime onus elevaretur,

tur,



tur, facultas illius restringebatur solummodo ad dataandum, & aliquis ex Protonotariis Primicerius nuncupatus, huic muneri addictus erat, ut constat ex Bullis Martini II. & Stephani II. *Conrad. prox. benef. l. 3. c. 8. n. 27.* Quæ facultas datandi postmodum Bibliothecario Sedis Apostolicæ concessa fuit. *Sarven. is proam. Reg. tit. de Proton.*

4. Hodie vero tanta est Datarii dignitas, & præ eminentia, ut habere oraculum mentis Pontificiæ dicatur, voceturque oraculum Papæ, cujus voluntatem explicat, proindeque dicto illius, & scripturæ standum est, nec in contrarium probatio admittitur. *Amyd. t. 1. c. 3. de styl. Datar.* Quinimo lacerare potest supplicationes, etiam manu Pontificis signatas ante registrationem, quia tunc nullum adhuc jus acquisitum est à Proviso, sed ex stylo Curiae res censetur integra, quia Papa moveri solet ad gratias concedendas, vel denegandas secundum intentionem Datarii, cui totam rem commisit; Registratas autem lacerare non potest, cum non possit adimere jus tertio quæsitum. Ita D.D. communiter.

5. Sole



5. Solet etiam *per Concessum* Beneficia aliqua, & gratias conferre, quæ ordinaria vocantur; In reliquis majoribus Beneficiis, Dignitatibus, & Canonicatibus potest uni præ altero præstare gratiam, cum exponit Pontifici concurrentium qualitates, eorumque supplicationes signandas porrigit. Aliquando ex concessione Papæ majores etiam gratias confert, Potestatem quoque habet Datarius condonandi Summam pecuniæ, quæ juxta stylum & taxam Datariæ solvi solet pro obtentis gratiis, quæ nunc major, nunc minor est pro diversitate beneficiorum.

6. Hinc existimat Amydenius Datarii etymologiam & denominationem, non tantum à datando, seu subscribendo Supplicationibus Datam, sed etiam à dando promanare. Adscribit vero Datarius, & extendit Datam diei, mensis & anni Pontificatus Papæ regnantis non vero horæ, in omnibus supplicationibus, hoc modo: *Datum Roma apud S. Petrum*, si Pontifex in Palatio Vaticano moretur, vel si in Monte Quirinali: *Apud S. MARIAM Majorem Nonis Januarii, Anno primo Innocentii Papæ XII.* Et supponitur nomen

men



men & cognomen Datarii. Quamvis à tempore Cardinalis Aragone hucusque, quo officium hoc commissum est Cardinalibus, sublevetur hoc onere extendendi Datam per alios Officiales, ut refert Lunadoro. Datarius quoque in commutandis pœnitentiis à Papa in literis Dispensationum injunctis, plenissimam habet potestatem. *Corr. Prax. disp. Apost. l. 8. c. 6. n. 59.*

7. Datarii Officium movibile est, & potestas ejus Sede vacante expirat, nec potest eo tempore datas ante mortem Pontificis adnotatas extendere, sed supplicationes gratiarum & justitiæ, etiam si datatæ fuerint, Collegio Cardinalium statim sub Sigillo clausas præsentare tenetur futuro Summo pontifici reservandas. *Pias IV. Const. 63. In eligendis percipit is ex Camerâ Apostolicâ quotannis duo millia Scutorum.*

8. Habet Datarius sub se diversos Officiales, quorum duo primi sunt & majores, alter *Subdatarius*, alter Officialis *Perobitum* vocatus. Hi tanquam Assessores & Consiliarii assistunt Datario in Congregationibus quotidianis, in quibus auditis etiam partium, vel Expeditorum instantiis, & contradictoriis, atque



atque examinatis quoque Supplicantium qualitatibus, præparantur negotia pontifici proponenda.

9. Subdatario committuntur in primis expendenda omnia, quæ expediri debent in Dataria, exceptis iis, quæ concernunt beneficia vacantia per mortem. Ideoque omnes fere supplicationes ab eo prius revidendæ sunt, Summariis in illarum calce adjectis antequam Datario tradantur, *Corrad. Prax. Benef. l. 3. c. 8. n. 38.* Accedit is cum Datario quotidie pontificem pro signandis supplicationibus, & subscribendis rationibus, quas dare debet Datario, quoties is eas postulaverit. Vestitur colore violaceo, fruiturque annuo redditu mille Scutorum ex Camera.

10. Officialis *Perobitum* eligitur à Datario ex procuratoribus seu Expedito-ribus Dataria, cujus praxin callere debet. Est Substitutus Datarii in negotiis, quæ ad Beneficia per obitum vacantia spectant, ideoque pro illis impetrandis porriguntur ei ut plurimum supplicationes, quamvis sæpius etiam immediate tradantur Datario. Et si ipse supplicationes accipiat, exponit contenta Datario, ut hic pontificem, cum supplicatio-



plicationes pro ejusmodi Beneficiis impetrandis defert, informare possit.

11. Sunt præterea alii Officiales quamplurimi, quos omnes constituit Datarius, nimirum: Duo Revisores, qui adjuvant Datarium in revidendis supplicationibus, ne errores irrepant, quando sunt subsignatæ examinant, an aliquid in supplicationibus forte concessum sit, quod pontifex non erat concessurus. Hi corrigere eas possunt, clausulas addendo, minuendo, expungendo & immutando etiam in iis, quæ narrari debent pro valore gratiæ, sed ob stylum non expedit, ut exprimantur in literis desuper expediendis. *De Luca* Horum unus dicitur primus, alter secundus, versatissimi in rebus Dataria.

12. Officialis *Parva Data*, qui eadem die, qua supplicatio est signata in extremo margine supplicationis ponit parvis characteribus diem, mensem & annum pontificatus hoc modo: *Kalendis &c. Anno &c.* sine illis particulis: *Datum Romæ &c.* ut extendi potest itea à Datario possit, quando supplicans eam expediri petit. *Corrad. in prax. l. 2. c. 7. n. 29. & 30.* Contingit enim subinde, vel ex defectu expensarum, vel ali-



ex causâ legitimâ , ut nonnisi post plures menses à subsignatione extendatur Data , & supplicationes expediantur. Interim curam earum habet hic Officialis parvæ Datæ.

13. Est etiam Officialis , seu *Præfectus componendarum*. Si enim pro gratia solvenda sit Compositio scribit Subdatarius in calce Summarii literam C. quæ significat : *Componat* , & mittitur huic Præfecto Componendarum , cui taxata materia solvitur compositio , nec extraditur supplicatio , nisi numeratâ pro eâ pecuniâ , quæ in eleemosynam erogatur. *De Rosa. l. 1. de exempt. lit. Apost. c. 1. n. 26.*

14. Officialis *de Missis* , à quo in calce supplicationis scribitur Missa die tali , & notatur in libro , abscissisque datâ parvâ & Summario , mittitur ad Registrum vel publicum vel secretum , ad quod eas hic Officialis direxerit. Mittit quoque apposito die ad Registrum Resignationes , & Reservationes pensionum.

15. Et Officialis , qui dicitur *Revisor Dispensationum Matrimonialium* ; Hujus Officium est signare supplicationes pro dispensationibus in gradibus con-

fan-



sanguinitatis, & affinitatis impetrandis, atque etiam super excommunicationibus  
*Ad revelationem.*

16. Sunt præterea viginti *Registratores* Supplicationum, qui referunt de verbo ad verbum supplicationes signatas à Pontifice, vel ab alio ad hoc ab eo deputato ad Registrum. Unus *Registrator* secretus. Sex *Clerici* *Registrari* Supplicationum prædictarum. Quatuor *Magistri* Supplicationum, qui conferunt Supplicationes registratas cum *Registratore*, ut videant, num cum eo in omnibus concordent. Hi scribunt in tergo supplicationum majusculam R, & in eâ nomen suum, quâ significant esse registratas.

17. Nunc praxin, quæ in Dataria observatur paucis subjungo; Ut ergo *Beneficium*, vel gratia aliqua à Summo Pontifice per Datariam obtineatur, petenda illa est humiliter ab ipso Papâ per Supplicationem scriptam in folio, vel dimidio folio juxta qualitatem materialium; Quia literæ Apostolicæ sine Supplicatione expeditæ ex stylo Curia Romanæ rejiciuntur tamquam suspectæ de falsitate. *Corrad. prax. Diss. Apost. l. 2. c. 1. n. 23.* Scribenda vero est Supplicatio  
chara



charactere Italico, sive Gallico, & sermone latino. *De Rosa par. 1. de exec. lit. Apost.* hic enim est dignior & frequentior aliis. *Corrad. l. c. n. 25.*

18. Hæc Supplicatio porrigitur Datarario, vel Subdatario, aut Officiali *per obitum*, prout est gratia quæ petitur, à quorum Substitutis ponitur Summariū petiti sub plicā, quæ fieri debet in calceo Supplicationis, & defertur à Subdatario, & Officiali *per obitum* ad Congregationem quotidianam Datarariæ, & si gratia sit *resolubilis*, & non necesse plurium vota audire in Signaturâ, colligantur in unum fasciculum signandæ à Pontifice.

19. Hunc accedit quotidie, nisi dies sint impediti, Datararius cum Subdatario, eique exponit, quæ beneficia vacant, & qualitates illorum, qui pro iis obtinendis supplicent, ut Pontifex unum è pluribus, cui conferendum sit, designet. Hac designatione factâ porrigitur eisdem Supplicationes eorum, qui in prioriaudientiâ præelecti fuerunt; Itemque diversæ aliæ super resignationibus, Coadjutoriis, dispensationibus, provisionibus Officiorum, aliisque similibus gratiis, quas Pontifex, lectis vel auditis earum Summariis, si ita Datararius suase-



rit, & stylus non sit contrarius, firmat manu suâ duobus in locis: Primò in spacio, quod relinquendum est inter petitionem gratiæ principalis, & petitionem formæ, sub quâ literæ expediendæ sunt, scribendo: *Fiat ut petitur*, cum initiali literâ nominis sui proprii in Baptismate accepti; Sic modernus Pontifex Innocentius XII. quem DEUS conservet, supplicationes hoc modo firmat: *Fiat ut petitur A*, id est: *Antonius*, hoc enim nomine ante assumptionem vocabatur. Secundò firmat eas in fronte secundæ partis, hoc modo: *Fiat A*. Subdatarius interim Papæ subscribens interservit, tanquam primus Datarii minister quique si hic vel per morbum, vel aliud impedimentum abesse cogitur, vices illius supplet.

20. Signatis in hunc modum Supplicationibus remittuntur illæ ad Datariam ab Officialibus ejusdem revidendæ, quia committi in iis possent errores in scribendo, aut apponi clausulæ insolitæ, & contra stylum. Traduntur ergò primo Revisori pro revisione, & correctione. Tum Officiali *parvæ Datæ*, qui apponit Datam diei, mensis & anni Pontificatus paucis verbis, & parvis characteribus sic

Ap  
An  
die  
nu  
sol  
de  
Di  
à  
Su  
&  
scr  
tra  
cu  
nic  
ma  
My  
ad  
gift  
tra  
den  
tor  
qua  
ni  
est  
tin  
lu  
ta  
Ap



Apud sanctum Petrum quarto Kal. Jun.  
 Anno primo, ut nimirum constet quo  
 die gratia concessa sit. Hæc vero Data  
 nullam facit fidem in iudicio, sed ad hoc  
 solum servit, ut Datarius eam, si illi vi-  
 debitur, postea extendat. *Corrad. prax.*  
*Disp. Apost. l. 2. c. 7. n. 30.*

21. Deinde dantur secundo Revisori,  
 à quo pariter revisæ remittuntur ad  
 Subdatarium, qui distinguit materias,  
 & si pro gratia solvenda sit compositio,  
 scribit in margine C. id est, *Componat*,  
 traditurque Præfecto Componendarum,  
 cui compositio solvitur. Postea appo-  
 nit Datarius modo supradicto Datam  
 magnam, & committuntur Officiali *de*  
*Missis*, qui eas distinguit, notata quæ  
 ad publicum, & quæ ad secretum Re-  
 gistrum referri debeant, & sic distinctas  
 tradit Magistro Registratorum, qui eas-  
 dem distribuit inter inferiores Registra-  
 tores, ut per eos libris seu Registris,  
 quæ subinde in Archivo Apostolico repo-  
 ni solent, inscribantur.

22. Hoc factò gratia omnino perfecta  
 est, & jus quæsitum dicitur ei, qui ob-  
 tinuit gratiam; Non ante, cum non so-  
 lum supplicationes etiam signatæ, & da-  
 tatæ corrigi, & reformari possint, sed  
 X 2 etiam



etiam à Datario omnino lacerari & abjici, ut dictum est. Registratæ hoc modo supplicationes auscultantur à Magistris Registri, qui illas mittunt per Procuratores, seu Sollicitatores, qui & Expeditores, vel Spedicionarii nuncupantur ad Notarium Regentis Cancellariæ, ut distribuantur inter Abbreviatores Præsententiæ majoris, à quibus vel eorum Substitutis demum conficiuntur minutæ Bullarum & literæ, quæ pro gratiæ executione, & effectu necessariæ sunt, prout dicetur capite sequente de Cancellaria.

23. At vero quæri hic potest primo: Cur Supplicationes firmentur à Pontifice subscriptione nominis proprii, Literæ verò Apostolicæ desuper confectæ appositione nominis assumpti in Pontificatu? An ut Sarnen. Corraius aliqui putant apud Thomam de Rosa *de execut. lit. Apost. p. 1. c. 1.* ad denotandam utramque personam privatam & publicam? An, ut iidem sentiunt quia Supplicationes ipse Papa subscribit, ideoque verò & originali nomine in his utitur, in Bullis verò nomine ascitio, & officii seu Papatu, quia hæ per Officiales expediuntur, nec ipse Pontifex manum illis apponit? An ut Andrea Gamb. *de auct. Legati à latere lib. 8.* placet, ne nomen Summi



mi Pontificis in vili chartâ descriptum contemptui habeatur? An potius, ut existimat de Rosa *l. c. n. 20.* dicendum non aliam posse dari hujus rei rationem quam illam Jurisconsulti *in l. Non omnibus ff. de leg.* quod non omnibus, quæ à Majoribus nostris facta sunt, ratio assignari possit, sed stylo acquiescendum sit.

24. Quæritur secundo; Cur Pontifex in primâ signaturâ subscribat: *Fiat ut petitur A*, in secunda solum: *Fiat A*? Respondet non incongruè Amydenius *l. 1. de stylo Datar. c. 32. n. 9.* quod clausulæ non contineant principaliter gratiam, sed ordinariè admittantur, ideo subscribi à Papâ per solum verbum: *Fiat*, quasi dicat: Servetur stylus. At prima subscriptio, cum respiciat petitionem hujus, vel illius Beneficii, aut alterius gratiæ individuae, formanda est per hæc verba: *Fiat ut petitur.*

25. Jam verò si Papa vel infirmitate, vel alio casu impeditus signare Supplicationes non possit, committit vel Cardinali, vel alteri Prælato idoneo, ut eas nomine suo in formâ *Concessum* subsignet, quod fit his verbis: *Concessum in presentia nostri Papæ, & supponitur nomen*



men Prælati, sicque per attestationem declaratur concessum esse à Papâ quod petitur.

26. Idem etiam observari solet in Beneficiis Galliæ, pro quibus non expediuntur Bullæ, sed sufficit sola signatura *Lotterius l. 3. q. 1. n. 12. & 13.* Atque etiam in Gratiis levioribus, quæ de stylo omnibus concedi solent; Nimis enim incommodum & operosum foret Pontifici tantæ rerum mole oppresso manu suâ illas signare, ideo ex generali delegatione committitur Datario, ut per eum aliove ejus Officiales id præstetur. Sunt vero Gratiæ ejusdem valoris, & efficacitæ sive factæ sint per concessum, sive signatæ ab ipso Pontifice. *c. Institutionis 25. q. 2.*

27. Cum ergo Literæ Apostolicæ quæ juxta antiquum stylum Gothico seu Gallico charactere scribuntur, cæteraque quæ in Dataria expediuntur per tot in utroque jure peritissimorum Officialium manus transeant, eademque exquisitâ diligentia ab iis ponderentur, pro indubitato haberi potest, in Pontifice de iis, quæ Juris sunt, & hoc in Tribunali tractantur, non dari ignorantiam, & si quæ Juri adversantia concedat, censendus sit illis per dispensationem derogare.